

SVMMARIVM CANONVM SACRI CONCILII TRIDENTINI,

QVI DE REGVLARIBVS DESCRIBVNTVR, ad eosdem attinentes.

Decretaq; nonnulla Sacræ Congreg. (iam typis edita) Illustriss. ac Reuerendiss. D. D. S. Romanæ Eccl. Cardinalium eiusdem S. Concilij Interpretum, ad Regulares spectantia.

In vnum collecta per R. P. Fra Iacobum Perium Ord. Min. Obser. Theologum, Predicatorem Generalem ac Ser. M. D. Etr. Confessarium.

Ad maius commodum Regularium.



FLORENTIAE,

Apud Stephanum Fantuccium Tosium. Alle Scalæ di Badia.

Superiorum Permissu.

SVMMARIVM
CANONVM SACRI
CONCILII TRIDENTINI,

[illegible]

[illegible]


[illegible]



FLORENTIAE,

Apud [illegible] Tofium. Alla Stella di Badia.

Superiorum permissu.



REVERENDO

PATRI FRA FELICI

DE S. MARCELLO.

Ord. Min. Obser. Prouinciæ Tusciæ Patri, Predicatorj, Venerabilisq; Monasterij S.Claræ Pisciæ Confess.

F. Iacobus Perius eiusdem Ord. & Prouinciæ P. F. P.





Voniam difficultates à te mihi proposita Florentiæ maxime cōsiderationis erant, egebantq; non paruuo studio, eas statim enodare nequiui, cum Senas, adseruiendum S, M.Duci Etr. adire mihi opus fuißet. At modo ad locum nostrum reuersus, & visis, animoq: quieto ponderatis S.Concilij Tridentini Canonibus ad Regularibus attinētibus, aliquibusue Decretis Sacræ Congreg. Illustris. ac Reuerendis. D.D. Cardinalium eiusdem

Concilij Interpretum, earum difficultatum, quæ tibi materiam dubitandi præbebant, apertam solutionem inueni. Vt ergo, quæ dico, facilius respicere vaicas, hoc Sumarium, Decretaq; ad te mitto mihi suadens tum conuentui nostro S. Ludouici, tum Monasterio S. Claræ Pisciæ, tum etiam cæteris conuentibus nostræ Prouinciæ multum profutura Vale. Florentiæ die 5. Decemb. 1622.

SVMMARIVM CANONVM SACRI CONCILII TRIDENTINI.

QVI DE REGVLARIBVS PRAESCRIBVNTVR ad eos attinentes.

DE LIBRORVM IMPRESSIONE.



NON liceat fratribus imprimere, seu imprimi face re Libros de rebus Sacris sine approbatione Ordinarij, & licentia suorum Superiorum. Sess 4. in decreto de vsu, & editione sacrorú librorum.

De Lectione Sacræ Scripturæ.

In Conuentibus in quibus studia commodè vigere possunt, Sacræ scripturæ Lectio habeatur, quæ Lectio à Capitulis Generalibus, vel Prouincialibus assignetur dignioribus Lectoribus. Sess 5. de refor. c. 1.

De licentia Prædicatorum.

Prædicatores sine licentia Superiorum, Ordinis, & benedictione Ordinarij in Ecclesijs eiusdem ordinis prædicare non possint, in Ecclesijs autem quæ suorum ordinum non sunt vltra licentiam Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur, in Ecclesijs etiā suorum ordinum nullus regularis contradicente Episcopo prędicare præsumat. Sess. 5. de refor. c. 2. & Sess. 24. c. 4.

De prædicatoribus malè prædicantibus.

Si aliquis Prędicator (quod absit) errores aut scandala disseminauerit in populum, etiam si in Monasterio sui, vel alterius ordinis prę dicet Episcopus ei prædicationem interdicat, quod si hereses prædicauerit contra eum secundum iuris dispositionem aut loci consuetu dinem procedat, etiam si Prædicator ipse generaliter, vel specialiter exemptum se esse prætenderit. Sess. 5. de refor. c. 2.

De regularibus delinquentibus.

Regulares extra Monasterium degentes, etiam sui ordinis priuilegij prę texu ab ordinario loci si deliquerint puniri possint. Sess. 6. de refor. c. 3

Regularis non subditus Episcopo, qui intra claustra Monasterij degit, & extra ea ita notoriè deliquerit, vt populo scandalo sit, Episcopo instante, à suo Superiore intra tempus ab Episcopo, pręfigendum seuerè puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat: Sess. 25. c. 14. de ref.

sin minus à suo Superiore officio priuetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit.

De regularibus translatis.

SeS. 14. de refor. c. 11. Regulares traslati de vno ordine ad alium sub sui Superioris obedientia perpetuo maneant.

Sess. 25. c. 19. Et nemo regularis cuiuscunque facultatis vigore transferea tur ad laxiorem Religionem: nec detur licentia cuiquam Regulari occultè ferendi habitum suæ religionis.

De Missarum elemosinis.

Sess. 22. in decreto de obseruãdis & euitãdis in celebratione Missæ. In primis quoad auaritiam pertinet cuiusuis generis, mercedum conditiones, pacta, & quicquid pro Missis nouis celebrandis datur, nec non importunas atque illiberales elemosinarum exactiones, potius quàm postulationes, & alia huiusmodi, quę à simoniaca labe, vel certè à turpi quæstu non longe absunt omnino prohibentur.

De vagis, & ignotis Sacerdotibus.

Cadẽ Sess. & decreto. Episcopi in suis Diæcesibus interdicant ne cui vago, & ignoto Sacerdoti Missas celebrare liceat.

De loco celebrandi Missas.

Eadẽ Sess. & decreto. Non patiantur priuatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad diuinum cultum priuata oratoria ab eisdem Ordinarijs ordinanda, & visitanda, sanctum Sacrificium à secularibus aut regularibus quibuscunque peragi.

De ceremonijs Missarum.

Eadẽ sess. & decreto. Caueatur ne Sacerdotes alijs quam debitis horis celebrent, ne ve ritus alios, vel alias ceremonias, & preces in Missarum celebratione adhibeant præter eas quę ab Eclesia approbatæ, ac frequenti, & laudabili vsu receptę sunt.

De certo numero Missarum, & candelarum amouendo.

Eadẽ sess. & decreto. Quarundam missarum, aut candelarum certum numerum qui magis à Superstitioso cultu, quàm à vera Religione inuentus est omnino ab Ecclesia remoueatur.

De remedio circa Missarum multarum numerum.

Sess. 25. c. 4 de reform. Facultatem dat Sancta Synodus Episcopis in Synodo Diœcesana, itemque Abbatibus, & Generalibus ordinum vt in suis capitulis generalibus re diligenter perspecta possint pro sua conscientia in Ecclesijs quas hac prouisione indigere cognouerint statuere circa hæc quicquid magis ad Dei honorem, cultum atque Ecclesiarum vtilitatem viderint expedire.

De voce Capitulari.

Sess. 22. c. 4 de refor. Quicunque in cathedrali vel collegiata Seculari, vel Regulari Ecclesia diuinis mancipatus officijs in subdiaconatus ordine saltem constitutus non sit, vocem in huiusmod. Ecclesijs in capitulo nõ habeat.

De

De litteris dimissorijs pro susceptione ordinum.

Nullus absque sui proprij Prælati expresso consensu, aut literis dimissorijs ad aliquos sacros, aut minores ordines, vel primam tonsuram promoueatur, aliàs ab executione ordinum sic susceptorum, donec suo Prælato visum fuerit ipso iure est suspensus. Sess. 14. c. 2 de refor.

De modo nouorum conuentuum accipiendorum.

Nec de cetero similia loca erigantur sine Episcopi in cuius Diœcesi erigenda sunt licentia prius obtenta. Sess. 25. c. 3

De Fratribus quod sine Superioris licentiam alterius obsequio, se non subijciant. Sess. 25. c. 4

Ne quis regularis sine sui Superioris licentia, prædicationis, lectionis aut cuiusuis pij operis pretextu subijciat se obsequio alicuius Prælati, Principis, vel vniuersitatis, vel communitatis, aut alterius cuiuscunque personæ, seu loci, quod si contrafecerit, tanquam inobediens Superioris puniatur arbitrio.

De Fratibus sine licentia d Conuentibus non discendendis. Ea. sess. & c

Nec liceat Regularibus à suis Conuentibus recedere etiam pretextus ad suos Superiores accendedi nisi ad eisdem missi, aut vocati fuerint: aliàs ab Ordinarijs locorum tanquam desertores sui instituti puniantur.

De Fratribus qui mittuntur ad vniuersitates studiorum. Ea. sess. & c

Qui studiorum causa ad vniuersitates mittuntur, in Conuentibus tantum habitent alioquin ab Ordinarijs contra eos procedatur.

De clausura monialium.

Vniuersi Episcopi in omnibus monasterij sibi subiectis in alijs vero sedis Apostolicæ autoritate, clausuram sanctimonialium vbi violata fuerit diligenter restitui, vbi inuiolata est conseruari maxime procurent. Ea sess. & c. 5

Nemini autem sanctimonialium liceat post professionem exire à Monasterio, etiam ad breue tẽpus quocunq; prætextu, nisi ex aliqua causa ab Episcopo approbanda. Ea. sess. c. 5

De probibitione ingressus ad monasteria monalium. Ea. sess. & c

Ingredi intra septa monast rij nemini liceat cuiuscunque generis, aut conditionis, sexus vel ætatis fuerit, sine Episcopi, vel Superioris licentia inscripitis obtenta sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, & hoc in casibus necessarijs tantum.

De Monasterijs Monalium intra vrbes reducendis. Ea. sess. & c

Monasteria Sanctimonialium extra mœnia vrbis, vel oppidi curent Episcopi, & alij Superior s (si ita videbitur expedire) vt ad nooua, vel antiqua monaster a intra vrbes reducantur.

De Confessione, & Communione Sanctimonialium. Ea. sess. c. 10

Attendant diligenter Episcopi, & alij Superiores Monasteriorũ

san-

sancti monalium, vt saltem singulis mensibus, confessionem peccatorum faciant, & sacrosanctam Eucharistiam suscipiant.

Ea. ses. & c *De confessario extraordinario Monialibus offerendo.*

Præter ordinarium Confessorem, alius extraordinarius ab Episcopo, & alijs Superioribus bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat.

Ea. ses. & c *De loco seruandæ Eucharistiæ in Monasterijs Monialium.*

Verò Christi Corpus intra chorum, aut septa Monasterij monialium, & non in publica Ecclesia conseruetur prohibet sancta Synodus, non obstante quocunque indulto, aut priuilegio.

De modo secreto in electione seruando.

Ea. ses. & c 6. de reg. In electione Superiorum quorumcunque, & aliorum officialium, ac generalium, & Abbatissarum fiat electio per vota secreta, ita vt singularum eligentium nomina nunquam publicentur.

De vocibus non supplendis.

Ea. ses. & c Nec in posterum liceat Prouinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoscunque Titulares ad effectum electionis faciendæ constituere, aut voces, & suffragia absentium supplere.

De ætate eligendi Præpositam, seu Abbatissam Monialium.

Eadem ses. & c. 7 Abbatissa, & Priorissa, & quæcunq; alio nomine præfecta, vel præposita appelletur, eligatur nō minor annis quadraginta, & quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit, quod si his qualitatibus non reperiatur in eodem monasterio, ex alio eiusdem ordinis eligi possit, si hoc etiam in comodū Superiori, qui electioni præest, videatur: ex ijs quæ in eodem monasterio annum trigesimum excederint, & quinque saltem annis post professionem rectè vixerint, Episcopo, vel alio consentiente eligatur.

De loco accipiendi vota monialium tempore electionis faciendæ.

Ead. ses. de regul. c. 7 Is qui electioni præest Episcopus, siue alius Superior Claustra monasterij non ingrediatur, sed ante cancellorum fenestrellam, vota singularum audiat seu accipiat, in reliquis seruentur singulorum ordinum, vel monasteriorum constitutiones.

De gubernatione Monialium.

Sess. 25. de regul. c. 9. Monasteria sanctimonialium sanctæ sedi Apostolicæ immediate subiecta ab Episcopis gubernentur, quæ vero à deputatis in capitulis generalibus vel ab alijs regularibus reguntur sub eorum cura, & custodia relinquantur.

De interdictis & censuris à regularibus obseruandis.

Ea. s. & c. 12 Censuræ, & interdicta ne dum à sede Apostolica emanata, sed etiā ab Ordinarij promulgata mandante Episcopo à regularibus in eorum Ecclesijs publicentur atque seruentur.

De

De festis à regularibus seruandis. Ea.ses.& c.

Dies festi quos in Diœcesi sua seruandos Episcopus præceperit ab exemptis omnibus, etiam Regularibus seruentur.

De controuersia in præcedentijs sedanda ab Episcopis. Ea.ses.c.13

Controuersias omnes de pręcedentia quę persępe maximo cum scandalo oriuntur inter Ecclesiasticas personas tam seculares quàm regulares cum in processionibus publicis, tum in ijs quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, Episcopus amota omni appellatione, & non obstantibus quibuscunque componat.

De exitu ad publicas processiones.

Exempti autẽ omnes tam clerici seculares, quàm regulares quicunque etiã monachi ad publicas processiones vocati accedere cõpellantur, ijs tantùm exceptis, qui in strictiori clausura perpetuo viuunt. Ea.ses.& c.

De minoribus ordinibus ab alijs quàm Episcopis non conferrendis. Sess. 23. c. 10. de ref.

Abbatibus, ac alijs quibuscunque, quamuis exemptis, non liceat in posterum intra fines alicuius Diœcesis consistentibus etiam si nullius Diœcesis vel exempti esse dicantur cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram, aut minores ordines conferre.

De promotione minorum ordinum.

Minores ordines ijs qui saltem latinam linguam intelligunt per temporum interstitia (nisi aliud Episcopo videretur) conferantur, Sess. 23. c. 11.
hi vero non nisi post annum à susceptione postremi gradus minorũ ordinum ad Sacros ordines promoueantur, nisi necessitas, aut Ecclesię vtiitas iuditio Episcopi aliud exposcat.

De promotione maiorum ordinum.

Promoti ad sacrum Subdiaconatus ordinem si per annum saltem in eo non sunt versati ad altiorem gradum nisi aliud Episcopo videatur non promoueantur, item qui ad Præsbyteratus ordinem assumuntur bonum habeant testimonium, & in Diaconatu ad minus per annum integrum, nisi ob Ecclesiæ vtilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videretur ministrauerint. Sess. 23. c. 13. & 14.

De promotis per saltum. Ea.ses.& c.

Cum promotis per saltum, si non ministrauerint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare.

De illis qui tenentur interesse Synodo Diœcesanæ.

Synodi quoque Diœcesanæ quot annis celebrentur, ad quas exẽpti etiam omnes qui alias cessante exempitione interesse deberent, Sess. 24. de refor. c. 2
nec capitulis generalibus subduntur accedere teneantur: ratione tamen parochialium, aut aliarum si secularium Ecclesiarum etiam annexarum debeant hi qui illarum curam gerunt quicunque illi sint Synodo interesse.

De examine eligendorum ad benefitia.

Sef.24.c. 18. Examinatores possunt etiam esse regulares ex ordine mendicantium, iurentque ad sancta Dei Euangelia fideliter munus se executuros, caueantque, ne quicquam occasione huius examinis, nec ante, nec post accipiant, alioquin simoniæ vitium incurrent, Et de his omnibus in Synodo Prouintiali, si opus erit rationem reddere teneantur, à qua si quid contra officium eos fecisse conpertum fuerit, grauiter eius arbitrio puniri posfint.

De ętate ordinandorum in maioribus.

Sef.23.c.12 de refor. Nullus in posterum ad Subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum annum, ad Diaconatus autem ante vigesimum tertium ad presbyteratus ante vigesimum quintum ętatis suæ annum promoueatur, Regulares quoque nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, priuilegijs quibuscunque ab hoc penitus exclusis.

De duobus sacris ordinibus, eodem die non conferendis.

Ea.fef.c.13 Duo sacri ordines eodē die nec etiam regularibus conferantur, priuilegijs, aut indultis quibusuis concessis, nō obstātibus quibuscūque.

De confessione secularium audienda, & quomodo.

Ea.fef.c.15 Sine probatione Episcopi nullus etiam regularis possit confessiones secularium, etiam sacerdotum audire.

De communione frequentanda à Ministris Ecclesiæ.

Ea fef.c.13 Subdiaconi, & Diaconi sciant maxime decere si saltem omnibus Dominicis, & sollemnibus diebus cum altari ministrauerint, sacram Comunionem acceperint.

Ea.fef.c.17 Sacri altaris ministeria non nisi pēr constitutos in dictis ordinibus exerceantur.

De obseruatione Regulæ, & communitate sectanda.

Sef.25.c.1 de Regu.5 Omnes regulares tam viri, quam mulieres ad Regulæ quam professi sunt prēscriptum, vitam instituant, & componant, & quæ ad Cōmunem vitam, victum, & vestitum obseruāda pertinent, fideliter obseruent, omnisque cura, & diligentia à Superioribus adhibeatur, tam in capitulis prouincialibus, & generalibus, quā in eorū visitationibus, quas suis tēporibus facere nō prętermittant, vt ab illis recedatur.

De proprietate extirpanda.

Nulli regularium tàm virorum, quàm mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia cuiuscunq; qualitatis fuerint, & quouis modo ab ejs acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus possidere, vel tenere, sed statim ea superiori tradantur, conuentuique incorporentur.

Sef.25.c.2 Nemini Superiorum liceat bóna stabilia alicui Regulari concedére, etiam ad vsumfructum, vel vsum, administrationem, aut commēdam,

dam, mobilium vero vſum ita permittant, vt eorum ſupellex ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſunt conueniat, nihilque ſuperflui in ea ſit, nihil etiam quod ſit eis neceſſarium denegetur, quod ſi quis aliter quicquam tenere deprehenſus, aut conuictus fuerit, is biennio actiua voce, & paſſiua priuatus ſit, atque etiam iuxta ſuę regulæ, & ordinis conſtitutiones puniatur.

De bonis immobilibus, & numero Regularium in Monaſterijs conſtituendo.

Conceditur omnibus monaſterijs regularium, etiam mendicantium, exceptis domibus fratrum S. Franciſci, Capucinorum & eorũ qui Minorum de obſeruantia vocantur bona immobilia poſſidere. Seſſ. 25. c. 3 de regul.

In prędictis monaſterijs, & domibus, tam virorum, quam mulierum bona immobilia poſſidentibus, vel nõ poſſidentibus is tantum numerus conſtituatur, ac in poſterum conſeruetur, qui vel ex redditibus proprijs monaſteriorum, vel ex conſuetis elemoſinis commodè ſuſtentari poſſit. Ea. ſeſ. & c.

De tempore profeſſionis.

In quacunque Religione, tàm virorum quàm mulierem profeſſio non fiat ante decimum ſextum annum expletum, nec qui minori tẽpore quàm per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur, profeſſio autẽ antea facta ſit nulla, nullamque inducat obligationẽ ad alicuius regulę, vel Religionis obligationẽ, vel ordinis obſeruationem, vel ad alios quoſcunque effectus. Ea. ſeſ. c. 16

De renuntiatione bonorũ quando, & quomodo à Nouitiis facienda ſit.

Nulla qnoque renuntiatio aut obligatio ante profeſſionem facta etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuſcunque cauſę piæ valeat, niſi cum licentia Epiſcopi, ſiue eius Vicarij fiat intra duos menſes proximos ante Profeſſionem, ac non aliàs intelligatur effectum ſuũ ſortiri, niſi ſecuta profeſſione, aliter verò facta, etiam ſi cum huius fauoris expreſſa renuntiatione etiã iurata, ſit irrita, & nullius effectus. Ea. ſeſ. c. 16

De non differendo tempore profeſſionis.

Finito tempore nouitiatus, Superiores, nouitios quos habiles inueniunt ad profitendum admittant, aut è monaſterio eos eiiciant. Seſſ. 25. de reg. c. 16

De bonis Nouitiorum infra tempus nouitiatus accipiendis necne.

Ante profeſſionem nihil recipiatur de bonis Nouitij, etiam ſponte oblatum à parentibus, vel curatoribus eorum niſi pro victu, & veſtitu illius temporis, quo in probatione eſt, & hoc præcipit ſancta Synodus ſub Anatematis pęna dantibus, & recipientibus, & vt abeuntibus ante profeſſionem omnia reſtituantur, quæ ſua erant, quod vt verè fiat, Epiſcopus etiam per cenſuras Eccleſiaſticas, ſi opus fuerit compellat. Ea. ſeſ. & c.

De tempore suscipiendi habitum a puellis deo dicandis.

Ea. sess. & c.17 Puella quę habitum regularem suscipere voluerit maior duodecim annis sit, nec ante eum suscipiat &c.

De puellis Nouitiis examinandis ante professionem ab ordinariis.

Ea. sess. &c Nec postea ipsa, vel alia professionem emittat, quàm explorauerit Episcopus, vel eo absente, vel impedito, eius Vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus Virginis voluntatem diligenter an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat &c.

Ea. sess. &c *De pœnis Abbatissæ, seu Ministræ non denunciantis tempus Episcopo.*

Professionis tempus, ne Episcopus ignoret, teneatur præfecta monasterij eum ante mensem certiorem facere, quod si præfecta certiorem Episcopum non fecerit, quamdiu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit.

Ea. ses. c.18 *De non impediendis, vel cogendis mulieribus ad Religionem.*

Anatemati sancta Synodus subijcit omnes, & singulas personas cuiuscunque qualitatis, vel conditionis fuerint, tàm Clericos, quàm Laicos Seculares vel Regulares atque etiam qualibet dignitate fulgentes, si quomodocunque coegerint aliquam Virginem, vel Viduã, aut aliquam quamcunque mulierem inuitam, præterquam in casibus à iure expresis, ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendũ habitum cuiuscumque Religionis, vel emittendam professionem, Similiquoque anatemati subijcit eos qui sanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem, vel accipiendi, vel voti emittẽdi quoquo modo sine iusta causa impedierint.

Ea, ses. c.19 *De remedio illius qui prætendit suam professionem non tenere.*

Quicunque regularis prętendat se per vim, & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat ante ętatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacunque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine Superiorum licentia, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum à die professionis, & tunc non aliter nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario: quod si antea habitum sponte dimiserit nullatenus ad allegandam quamcunque causam admitatur, sed ad monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur, interim verò nullo priuilegio suę Religionis iuuetur.

De excomunicationis sententia non nisi summa maturitate ferenda.

Ses. 25. c.3 de refor. Quamuis excomunicationis gladius neruus sit Ecclesiasticæ disciplinæ sobriè, tamen magnaque circunspectione exercendus est, cum experientia doceat si temerè, aut leuibus ex rebus incutiatur magis con-

contemni, quam formidari, & perniciem potius parere, quam salutem.

De locatione bonorum Ecclesiæ, & anticipatis solutionibus non faciendis.

Locationes rerum Ecclesiasticarum si anticipatis solutionibus fiant nullatenus in præiuditium successorum validæ intelligantur, quocunque indulto, aut priuilegio non obstante. Ea. sess. & mater.c.11

De quarta funeralium.

Decernit sancta Synodus in quibuscunque locis iam ante annos quadraginta, quarta, quę funeralium dicitur, Cathedrali, aut parochiali Ecclesiæ solita persolui, ac postea fuerit ex quocunque priuilegio alijs monasterijs hospitalibus, aut quibuscunque locis pijs concessa, eadem post hac integro iure, & eadem portione, quæ antea solebat, cathedrali, seu parochiali Ecclesiæ persoluatur, non obstantibus concessionibus gratijs, priuilegijs, etiam mari magno nuncupatis, aut alijs quibuscunque. Sess.25.c.13 de refor.

De arctioribus statutis vltra constitutum seruandis.

Si qui vero regulares, tam viri, quam mulieres sunt qui sub arctiori regula, vel statutis viuunt excepta facultate habendi bona stabilia in communi eos ab eorum instituto, & obseruantia sancta Synodus amouere non intendit. Sess.25. de Reg.c.22


De Canonibus sacri Concilii executioni demandandis.


Et quia sancta Synodus desiderat, vt omnia, & singula supradicta quamprimum executioni demandentur, pręcipit omnibus Episcopis in monasterijs sibi subiectis, & in omnibus alijs ipsis in Superioribus decretis specialiter commissis atque omnibus Abbatibus, & Generalibus, & alijs Superioribus ordinũ, vt statim prædicta exequantur, & si quid executioni mandatum non sit, Episcoporum negligentiam Concilia prouintialia suppleant, & coerceant, regulariũ verò Capitula prouintialia, & Generalia, & in defectum capitulorũ generalium Concilia prouintialia per deputationem aliquorum eiusdem Ordinis prouideant. Ea.sess.25. de regul.c.22

FINIS.

SACRÆ CONGREGRATIONIS Illuſtriſſimorum, ac Reuerendiſſimorum Dom. D. S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalium.

Sacroſancti Concilij Tridentini Interpretum Decreta nonnulla ad Regulares ſpectantia.





Ongregatio Concilij cenſuit Decretum Capit. 12. Verſ. Dies etiam feſti Seſſ. 5. de Regularibus, ita eſſe intelligendum: vt Regularium Ritus illis diebus feſtis ſemper permaneant quo ad Miſſas celebrandas, & cætera diuina tam publicè, quam priuatim ab ipſis Regularibus in eorum Eccleſijs per ſoluenda. Nec circa hæc ab Epiſcopis quoquomodo quicquam in contrarium eiſdem Regularibus precipi poſſe. Quod ſi de facto prceceperint, Regulares neutique ipſis Epiſcopis obedire teneri. Verùm quoad Conciones, & lectiones, quas ijdem Regulares ad populum habuerint, debere ſe conformare Euangelijs, & Epiſtolis, quibus Clerus ſecularis vtitur illis diebus feſtis.

Item cenſuit, Regulares, qui abſque licentia Epiſcopi prædicauerint in Eccleſijs, quæ ſuorum ordinum non ſunt, tametſi Decreto eiuſdem Concilij Cap. 21. Seſſ. 5. contrafecerint, non poſſe tamen puniri ab Epiſcopo, ſed tantùm à ſuis Superioribus.

Item cenſuit, Regulares Monaſterij, vltra medium miliare à Ciuitate diſtantis non poſſe ab Epiſcopo compelli accedere ad Proceſſiones.

Item cenſuit, Epiſcopos, aut alios locorum ordinarios vigore cuiuſuis Decreti eiuſdem Concilij nullam habere faculrem quouis tēpore in Monaſterijs, domibus, & Eccleſijs Regularium exemptorum, quibus non imminet cura animarum perſonarum ſæcularium, viſitandi Sacriſtias, paramenta, vaſa ſecra, Altaria, & cætera huiuſmodi, aut etiam Tabernaculum, ſeu pyxidem, in qua Sanctiſſimũ Euchariſtiæ Sacramentum aſſeruatur.

Item cenſuit, circa ſæcularium Cōfeſſiones ab ipſis fratribus Mēdicantibus audiendas, vt ſeruetur Deciſio Congregationum Sacri Concilij, & Epiſcoporum. Corripianturque Ordinarij, qui in articulo mortis id fieri prohibent, vel in licentijs cōceſſis id excipiunt.

Item censuit, Fratres Mẽdicantes nullatenus à quæstuatione, quæ de licentia suorum Superiorum fit, & in dies fieri continget, prohibeantur.

Item censuit, vt Ordinarij in cognitionibus causarum Fratrum Mendicantium tam ciuilium, quam criminalium minimè se ingerant; pariter nec in visitatione eorundem fratrum, vel Ecclesiarum suarum: nisi quatenus eis per Concilij Tridentini Decreta conceditur.

Item censuit, vt Ordinarij non impediant fratres pulsare Campanas ad matutinum, ad horas, & ad Missam antequam pulsetur campana maioris Ecclesiæ, prçterquam in die Sabbati Sancti.

Item censuit, Regulares ad audiendas in Ciuitate, & in Diœcesi sæcularium Confessiones semel ab Episcopo præuio examine approbatos, iterum ab eodem Episcopo non esse examinandos. Cœterũ à successore posse vtrique examinari, iuxta Constitutionem Sanctæ Mem. Pij V. Dat. 8. Idus Augustis quæ à fel. rec. Greg. XIII. non est reuocata per reductionem priuilegiorum Regularium ad ter. Cõcilij Tridentini.

Item censuit, vt quoties cadauera ad Ecclesias Fratrum Mendicantium deferuntur, officia mortuorum, & reliqua munia, quę in huiusmodi ministerijs adhiberi solent, non à Canonicis, neque à Clero, sed ab ipsis Fratribus peragi debeant. Super sess. 25. de Refor. cap. 23.

Romæ primùm, deinde Vincentiæ Typis mandata anno M.D.CIV. De licensia Superiorum.

Apud Ioannem Petrum Ioanninium, & Franciscum de Grossis socios, Impressores Episcopales.

Nunc Florentiæ cum Summario Can. Concil. Trid. anno 1622. die 3. Decembris.